

42 992

DE  
**CONSTITUTIONE MOR-  
BORUM STATIONARIA.**

**DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-PATHOLOGICA**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE AM-  
PLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT GRADUM  
**DOCTORIS MEDICINAE**

RITE ADIPISCATUR,  
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET  
A U C T O R

**Fridericus Const. Carger,**

ESTHONUS,

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS I. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCCXXXIII.

42 992

**VIRO**

**IMPRIMATUR**

haec dissertatio ea conditione, ut quum primum typis excusa fuerit, quinque eius exempla collegio explorandis libris constituto tradantur.

Dorpati Livon. die xxv. mens. Sept. MDCCCXXXIII.

*Dr. Fridericus Erdmann,*  
Ord. Med. h. l. Decanus.

**DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO**

**CAROLO HAKEN**

*PHILOSOPHIAE CANDIDATO, PRÆCEPTORI CARISSIMO,*

492978

IASCE LITERARUM PRIMITIAS OMNI  
QUA PAR EST PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

*Mirum tibi fortasse videtur, lector benevole, me artis medicinae tironem, usu parum imbutum, de re quadam, hausta potissimum ex experientia, disserendi periculum facere, quam quidem Wittmann, in praeclaro de morbi constitutione libello, medicum juniorem vel parum intelligere censet, („nam quod non est in sensu, non est in intellectu“) vel, si optima fide opinionem animo imbiberit, conjecturam potius sterilem habere, quam principium usu comprobatum. 1) Nihilominus a re hac tractanda non deterrebar, quum, medicinam dum constat esse scientiam ex usu plane haustam, experientia duce, qualiacunque ex ar-*

---

1) Wittmann: Stationaire Krankheitsconstitution. Mainz 1825. pag. 24.

*te medica eligerem conscribenda, carere arguerer; nam paucis cursu academico vixdum absoluto, quae in medium proferantur digna observasse contigerit.*

*Argumentum, in quo explicando disertatiuncula mea versabitur, tale esse mihi succurrit, quale vel medicus in arte exercenda veteranus propriaque doctus experientia non superaverit, nisi in auxilium vocatis tum aequalium tum majorum observationibus.*

*Num rem meam, ut Wittmann de quoque contendit medico juniore, parum intellexerim, ex tuo arbitrio, lector candide, pendebit, quem quidem commentationi huic mancae neque partibus suis perfectae indulgere exoratum velim, reputantem, tum temporis mihi concessi spatium brevissimum, tum valetudinis meae continuam ferre imbecillitatem.*

---

Recentiore demum aetate medici nonnulli, tum in commentationibus singularibus, tum in ephemeridibus diversis, medicorum animos advertere studuerunt ad doctrinam maximi momenti de constitutione morborum stationaria; attamen minus adhuc respici videtur, quam multiplex et gravis ejus in usum medendi rationalem vis meretur. In recentissimis quidem pathologiae et therapiae tum generalis tum specialis compendiis paucis vix verbis ejus mentio fit. Quin etiam apud nonnullos scriptores, notiones: constitutio annua, endemica, epidemica non accurate sejunctas invenies a constitutione stationaria, unde res maxime confundi possunt, quum notiones hae, licet saepius alia ad aliam referantur, se sustineant vimque augeant, haud rarius sibi oppositae sint et magis minusve se tollant. Operae forte pretium erit, si singulas constitutiones breviter et accurate definiendi periculum faciam.

Constitutionem morbi annuam eum vitae habitum, in plerisque, tum sanis tum aegrotis hominibus perspicuum nominamus, qui ex terrae circa solem rotatione pendens pariter

atque anni tempora, ex eodem fonte orta, immutatur. Ita jam ex Hippocratis temporibus constitutionem annuam verno tempore inflammatoriam, aestate biliosam, autumno rheumaticam, hieme catarrhalem esse statuebant. Quam quidem divisionem ad medias orbis terrae regiones referendam patet, quum in regionibus tropicis et arcticis duo tantum anni tempora plane discerni possint. Constitutio annua in morbos intercurrentes quoque magis minusve vim agit, quin etiam, si cum constitutione stationaria coincidit, ut evolvatur ex iis epidemia, efficere potest. In universum vero constitutioni stationariae obnoxia, infringere eam non valet, quamquam ex parte eam immutat.

Morborum indoles post anni temporum vicissitudines mutata plerumque ex tempestate mutata explicatur; ita Wittmann ait: „Die Jahresconstitution ist das Product des Einflusses der Witterung und ihres besondern Wechsels vermöge der Jahreszeiten auf die allgemeine Lebensstimmung und Gesundheit.“ 2) Propius ad verum accedere videtur, mutationes has annuas ipsas minus pendere ex varia anni temporum tempestate, quam potius cum iis simul deducendas esse ex causa quadam altiore; nam saepe morbi annui nostrarum regionum certiore ordine consequuntur, quam tempestates illae ipsae. 3) Quae quidem causa alior ex vita or-

2) Wittmann. l. c. pag. 9.

3) Schnurrer: *Materialien zu einer allgemeinen Naturlehre der Epidemien und Contagien*. Tübingen 1810.

ganismi humani peculiari spontaneaue, deducatur atque ex ejus ratione mutua cum vita organismi terrestris. Quivis modo virium omnium et corporis et animi conditionem mane vespereque diversissimam in se aliisque observaverit, (quin etiam Kieser 4) constitutionem quotidianam esse statuit); neque cuiquam ex temperatura vel barometri statu mutatis hanc rem explicare in mentem veniat. Plantas adeo ex America ad nos allatas eodem quo antea in patria tempore somnum capere videmus, ergo hic meridie, dum illic noctu; quod quidem sit ex causa quadam interna, quamquam plantae, ut inferioris ordinis organismi vitam agant terrae et atmosphaerae influxui maxime obnoxiam.

Constitutionis endemicae voce eum vitae humanae tum physicae tum psychicae statum designamus, qui ex conditionibus certis localibus pendet et viribus nocentibus gignitur, regioni cuidam propriis atque ex ejus rationibus climaticis, situ, soli proprietate, aqua, aëre, ventis, temperatura, victu caet. exortis. Omnium haec constitutio minime mutabilis est et eadem manet, dum rationes illae non variantur. Haec etiam indolem suam in omnes morbos intercurrentes, in certa quadam regione, magis minusve transfert, prout convenit vel discrepat cum constitutione annua et stationaria. Saepissime morbum chronicum, in loco quodam ex annis iam remediis aptissimis frustra tractatum, celeriter

4) Kieser; *System der Medicin*, Band I. Halle 1817 pag. 654 und 674.

sanari videmus, si aegrotus, sede mutata, sub alia constitutione endemica versatur.

Saeppissime vero genius epidemicus et constitutio stationaria eodem usurpantur sensu. Quamquam haec notionum confusio vim exserit minorem in curandi methodum, quum morbus grassans semper ex constitutione stationaria pendeat, tamen castiganda est, quum genii epidemici voce eam tantum ex regnante epidemia pendentem virium vitalium conditionem designamus, ex qua omnes morbi eodem tempore intercurrentes, tum a decursu solito deflectuntur, tum curandi methodum ex illis pendentem sibi requirunt. Constitutio stationaria a genio epidemico primum eo differt, quod latius regnat neque certam morbi formam complectitur, secundum, quod continuo per plures annos perdurat, dum genius epidemicus tantum morbi grassantis tempore adest, ubi morbi intercurrentes, sponte exorti, ejus vi mox in morbos epidemicos mutantur, atque nunc simili tractandi sunt modo; — vel morbi intercurrentes initio morbi epidemici speciem prae se ferunt, qua, brevi tempore interjecto, deposita, propria forma in conspectum prodant, suam peculiarem requirentes medendi methodum.

Nunc constitutionis stationariae notionem accurate definire restat. Sydenham primus voce constitutionis stationariae vel potius febris stationariae in scientia nostra usus est, neque tamen satis perspicue discernebat singulas constitutiones, ut ex hoc loco patet: 5)

5) *Sydenham. opera medica. Genevae, 1757, 4 Tom. I. pag. 22.*

„Quamvis autem diversas diversorum annorum habitudines, quoad manifestas aëris qualitates, maxima qua potui, diligentia notaverim, ut vel exinde causas tantae epidemicorum vicissitudinis explicarem, me tamen nihilum quidem promoveri sentio; quippe qui animadverto annos quoad manifestam aëris temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari et vice versa. Ita enim se res habet. Variæ sunt nempe annorum constitutiones, quae neque calori, neque frigori, non sicco humido ortum suum debent, sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis contaminatur, quae humana corpora huic aut illi morbo addicunt determinantque, stante scilicet praefatae constitutionis praedominio; quae exacto demum aliquot annorum curriculo facessit, atque alteri locum cedit. Unaquaeque harum constitutionum generalium propria ac peculiari sibi febris specie funestatur, quae extra illam nusquam comparet, cujusmodi febres idcirco stationariae nobis audiunt.“

Wittmann in libello supra allato, (p. 19) rem ex usu tantum, quem habet in arte nostra, considerans, medicum artem exercentem, ait, voce constitutionis stationariae peculiarem quandam actionis vitalis habitum et humorum conditionem designare, in populo universo singulis exceptis perspicuum, qui, si respiciatur experientia sola, tum in statu sano, tum praesertim in morbis, quibus indolem certam et generalem impertiat, clare animadvertatur, et tandem, per annorum seriem incertam vi sua exhibita, ae-

que sensim decrescat et evanescat, ac sensim crescendo sit excultus. Idcirco stationariam nominari, quia per longius tempus, saepe per decem, quindecim usque viginti annos quasi stat.

Haec definitio universe quidem satis accurata mihi esse videtur; miror tamen scriptorem nostrum humorum tantum conditionis peculiaris, quam actioni vitali opponit, mentionem fecisse, ac, si partes corporis solidae non simul modo peculiari mutatae esse debeant. Non satis distincta mihi esse videtur vox „in populo universo;“ nam una eademque morbi constitutio tempore quodam non circa totum terrae orbem diffusa esse potest; immo, ut usus docet, in regionibus tropicis nulla constitutio stationaria assumi potest, quod Kieser 6) secundum suam opinionem explicare studet, ut postea afferam.

Constitutio stationaria ergo, ad genus humanum in universum idem valet, quod constitutio peculiaris, ad singulos; porro si respicitur vita generis humani physica, idem illa significat, quod aetatis ingenium (*Zeitgeist*), si respicitur vita ejus psychica; — denique ut saepe in homine quodam animi facultates corporisque constitutionem in ratione quadam esse videmus, in ratione simili plerumque est aetatis ingenium et morbi constitutio, uno eodemque tempore vigentes. — Quamvis maxime necesse sit, bene noverit medicus certo quodam in casu aegroti sui corporis constitutionem, temperamentum, idiosyncrasiam, ut recte eum curare valeat; tamen magis etiam necesse est, exploret ille re-

gnantem morbi constitutionem. Qua bene perspecta, certo quodam in casu morbi diagnosi sublevatur, quum, ut supra jam monuimus, morbus quisque intercurrentis constitutionis stationariae indolem magis minusve induat, nisi, vel causis, quae in aegrotum vim habuerint peculiaribus, vel singulari, in qua versetur aegrotus, quadam vitae conditione, vel firmissimo ejus corporis habitu, vis haec deleatur. In constitutione inflammatoria, ut exemplum afferam, quaevis febris, licet ex statu mere adynamico exoriat, initio febris inflammatoriae speciem praese feret; quae quidem res medicum, dummodo constitutionem inflammatoriam agnoverit, in errorem non inducet. Tum de prognosi statuenda certiore eum reddet; nam per se intelligitur, morbum jam ipsum constitutionis stationariae indolem induentem, caeteris paribus, minus fauste evenire, quam morbum constitutionis stationariae indoli contrarium. Majoris etiam momenti ejus notitia, quod attinet curam, quum maxime generalem curandi indicationem medico praebet, quam, ut prospere omnia ei cedant, neutiquam negligat. Quot diversis modis unus idemque morbus viginti quinque annorum spatium tractatus est! Dum ab anno septuagesimo usque ad nonagesimum saeculi praeteriti omnes fere morbi per methodum evacuantem fausto eventu tractati erant; ultimo ejus saeculi decennio usque ad annum undecimum hujus saeculi remedia irritantia — tonica omnino adhibebantur, ita ut validissima quaeque haud raro quavis in domo in promptu haberentur; tandem ex anno millesimo octingentesimo duodecimo,

6) Kieser: *l. c.* pag. 656.

methodus antiphlogistica in usum vocata brevi ita divulgabatur, ut nunc venam secari vel hirundines duodenas apponi omnium primum jubebat artis medicinae expertis, sibi ipsi aliisque consulens. 7) Quo modo methodos ita mutatas esse interpretemur? Caveamus modo, ne, quod quidem nonnullis placuerit, quae, teste medicinae historia, semper revertantur, consuetudini hominum alternanti medicisque rerum novarum cupidis attribuamus! An ponamus, majores nostros morbum perperam tractasse, nunc demum, ex qua una sit salus speranda, methodo detecta? Minime! Procul absit a nobis, ut clarissimis pristinae aetatis medicis talem afferamus injuriam! Quin immo experientia repugnat, quum illi eodem successu aegrotos suo tempore tractaverint. Tantum ex constitutione stationaria immutata rem explanare possumus et quidem satis commode et clare; nam quum, doctrina Browniana vigente, pneumoniam fere semper ab initio remediis incitantibus tractatam et sanatam esse videamus, nunc quidem in quavis fere pneumonia venaesectio atque totus apparatus antiphlogisticus eodem optimo successu adhibetur; eo minime offendimur, modo sciamus, tum temporis constitutionem nervosam, deinde inflammatoriam fuisse. Injustissime sane ageret, qui ex curandi methodis diverso tempore sibi contrariis, ut a nonnullis, praesertim arte nostra haud imbutis factum est, vim naturae medicatricem hic non tantum morbum, sed etiam medicum

---

7) *Hufland: Journal der praktischen Heilkunde. Band 38, Stück 6. pag. 90.*

ipsum superasse concluderet. Qui pneumoniam in juvene robusto, plethorico iisdem remediis, quibus in femina parum valida, sensibili curaret, haud minus vituperandus esset, quam qui, constitutione nervosa regnante, sanguinis emissionem et methodum antiphlogisticam extemplo in usum vocare auderet aeque ac si adesset constitutio stationaria inflammatoria. Utinam medici jam pridem agnoscent sententiam hanc! Quot rixae acerrimae saepe et inhonestissimae susceptae non fuissent! — Dum medicus, animo tranquillo et composito rerum naturam accurate perscrutatus, medendique methodum adhuc adhibitum nunc haud diutius succedere, remediaque, antea gravissimo quoque in casu comprobata, nunc invalida esse, immo nocere, mature animadvertens, methodo priore relicta, fausto eventu aliam saepe contrariam sequebatur; medicorum grex pertinax systema usitatum ac medendi rationem inde haustam relinquere et abjicere nolebat, unde et ipsi et aegroti iis confidentes maximum capiebant detrimentum, donec plerumque pestilentia, vel nova, vel quae secundum principia illa minime curari poterat, ex errore eos reducebat solitaque a methodo esse abstinendum docebat. Pestilentiae ejusmodi fere semper, experientia duce, paullo post mutatam morbi constitutionem grassantes, summam quasi ejus evolutionem efficiunt; nam aeque ac praedispositio in homine quodam ita augeri potest, ut, causa occasionali haud obvia, immo sedulo evitata, morbus inde nascatur, pari modo ex morbi constitutione stationaria, quippe quae constituat morbi praedi-



spositionem generis humani, partis saltem, epidemia congrua evolvitur, sive pestilentia in hac generis humani parte grassans. Epidemiae quidem ex contagio primario constatae haec modo dicta refellere videntur, quia contagium nimirum eas genuisse affertur; tamen exceptio haec maximam partem non valet, quod ex epidemiae notione penitus indagata sequetur. Morbi epidemici ita vocantur, qui certo temporis spatio majorem hominum societatem aggrediuntur atque in decursu universo morbum in singulis decurrentem, imitantur. 8) Appositio haec omnino addenda est, ut morbi intercurrentes a mere epidemicis distinguantur, quum illi quoque multos simul homines afficere possint, e. g. occasione quadam, ubi plurimi maxime perfrixerunt, catarrhus fortasse in urbe grassans exoritur, neque tamen epidemia appellandus est, sed potius singulorum morbi casuum accumulatio, quum alia, quae epidemiam insigniant, decursus, tempus, quo percurrit et ratio ad caeteros morbos, plane desiderentur. Recentiore tempore morbos epidemicos sejungere volebant a morbis epidemicis grassantibus, primarie contagiosis, 9) 10)

- 8) Fr. Schmürrer: *Materialien zu einer allgemeinen Naturlehre der Epidemien und Contagien*. Tübingen 1810. pag. 13.
- 9) Gutfeldt: *Einleitung in die Lehre von den ansteckenden Krankheiten und Seuchen*. Leipzig 1806. pag. 91.
- 10) Hopfengärtner: *Beiträge zur allgemeinen und besondern Theorie der epidemischen Krankheiten*. Frankfurt und Leipz. 1795. p. 11.

sed minimo jure. Argumentum, cui maximam attribuunt auctoritatem, scilicet in epidemia causam supponendam esse late diffusam, in morbo verum primarie contagioso jam sufficere contagium ad morbum epidemicis divulgandum, observatorum optimorum experientia refutatur. Saepissime morbum hunc illumve contagiosum in urbe magna quadam hominibusque referta sporadice occurrere videmus, proximam quoque viciniam contactu immediato afficere, attamen certis modo temporibus epidemiam inde evolvi. Ergo praeter contagium illud, sive vehiculum ejus fixum sive volatile est, alia accedere debent, causa illa aliorum lateque divulgata, cujus ope in universum epidemiae gignuntur. Ita narrat Orraeus 11) pestem in urbe Challaz, quum milites Rossici excederent, jam affuisse, quin etiam illos aegrotos secum duxisse, morbum vero, quo magis agmen ab urbe illa removeretur, disparuisse neque ab eo apportatum esse ad urbem Jassy, post mensem autem eo venisse latiusque divulgatum esse. Gutfeldt in eo etiam discrimen inesse putat, quod morbi epidemicis grassantes primarie contagiosi, systema solum reproductivum, epidemiae e contagio non exortae systema quoque irritabile et sensibile offendant; quod quidem comprobari nullo pacto potest, nam ad morborum complurium contagiosorum naturam febris aequae pertinet atque exanthema insequens, aliave systematis reproductivi mutatio; immo saepe e. g. in morbillis vel scarlatina grassantibus

- 11) Gustavi Orraei: *descriptio pestis, quae anno 1750 in Jassia et 1751 in Moscua grassata est*. Petropoli 1784.

singulos affici videmus omnibus eorum symptomatibus gravioribus, morbumque exanthemate, quod adesse solet desiderato, sudore resolvi, et tamen ab infectione altera tueri, ex quo vere febrem adfuisse patet, scarlatinam vel morbillos concomitantem.

Discrimen ergo inter epidemiam veram et morbum epidemice grassantem, primarie contagiosum non exstat, quod magis etiam observatione convincitur, epidemiam quamlibet, initio non contagiosam, si latius irrepserit, contagiosam fieri et vice versa morbos nunc infectione sola sese communicantes, ut syphilidem, scabiem, primo exordio epidemice grassatos esse. 12) Causa eadem late regnans, quam ad epidemiam excolendam necessariam statuimus, morbum primarie contagiosum, tum epidemice grassantem procreare valet, ergo est constitutio morbi stationaria, quae in regionibus quidem tropicis non occurrit, ubi, dum in omnibus organis summa viget via, quaevis morbi constitutio recens exulta statim maximum attingit evolutionis gradum, id est, in epidemiam abit. Bella, famines, inundationes, terrae motus, tempestas mutata, qualescunque aliae epidemiarum causae habitae sunt, sane per se nunquam eas producere

12) Kieser: *System der Medicin*, Band I. Halle 1817 pag. 683.

13) Schnurrer: *Chronik der Seuchen in Verbindung mit den gleichzeitigen Vorgängen in der physischen Welt und in der Geschichte der Menschen*. Theil II. Tübingen 1825 pag. 324.

valent, quamquam ad illarum vim augendam latiusque divulgandam aliquid afferunt. Schnurrer 13) in libro: *Chronik der Seuchen* u. s. w. quantum potest in re hac plane nondum exarata, historiam synchronisticam tempestatis, fertilitatis, phaenomenorum naturalium insolitorum, morborumque eodem tempore magis minusve epidemice grassantium, conscribendi periculum fecit, neque verbo ad finem certum pervenit. Nam saepe uno pluribusve annis diversissima convenisse videmus, ex quibus orti esse multi morbi putentur, et nihilominus hoc tempore valetudo aderat optima et vice versa. Ita v. c. anno 1785 et 1786, ubi terrae motus alter alterum sequebatur, phaenomena insolita aëria plebem superstitiosam terrebant, pluribus locis nix rubra et nigra ad sex pedes solum contegebat, montibus ignivomis et inundationibus maximis regiones totae vastabantur; nullas invenimus epidemias. Schnurrer his quidem verbis inquit: „Bey diesen so gewaltigen Vorgängen, die gerade das westliche Europa und Nordamerika trafen, also die Gegenden, in welchen die Bewohner zur Beobachtung und Auffassung der begleitenden Erscheinungen am geschicktesten und geeignetesten waren, erfährt man wenig von zugleich stattfindenden Krankheiten.“ Quas quidem omnes causas externas, sive cosmicae sive telluricae sunt, a priori adhuc refutat epidemiarum decursus certus, tempus, quo percurrerant et directio. Sicuti morbus specialis plerumque lenius incipit, sensim usque ad fastigium crescit, et denique, nisi mors superveniat, sensim decrescens ad sanitatem revertitur, ita

epidemia initio lenior, medio decursu grassatur infestaque agit, denique ad finem vergit et evanescit. Tempus quidem in singulis epidemiis diversissimum, etiam una eademque in epidemia vario momento differt; tamen eandem pestilentiam saepe pluribus locis, quod attinet naturam coeli, diversissimis, aequae diu morari observamus, quo peracto tempore certo desinit, etsi ei favcant omnes res. Memoratu dignissima pestilentiarum directio solita, nimirum ex oriente ad occidentem solem, cujus exemplum nobis praebet optimum epidemia, anno 1782 observata, quae hieme incipiens in urbe Kiachta, pone fines Sineses, migravit per Rossiam Asiatam, Europam, mare Atlanticum atque ejusdem anni mense Septembri civitates Americae septentrionalis unitas attingit, ubi in gentibus barbaricis evanuit. Haud dissimilis apparuit Cholerae epidemicae nostris diebus observatae directio, cujus indoles contagiosa vel miasmatica rixas tum medicorum tum aliorum maximas commovit, cum hos etiam attineret res, quia, prout vicit una aut altera sententia, custodiae ad morbum arcendum vel instituebantur vel dimittebantur. Fuerit illa initio contagiosa, necne, tamen constat, sola contagii ope eam ita divulgari non potuisse per orbis terrarum partem fere maximam; aliquo loco custodiae illae nonnullis quidem in regionibus maxima severitate habitae eam arcuissent! Fortasse initio contagiosa non est, sed contagium in morbi fastigio demum evolvitur.

Quaenam ergo epidemiarum causae? Ad quod si recti quid respondissemus, simul con-

stitutionis stationariae causa detecta esset. Quae quidem nos fere omnino fugit, nisi, nonnulla nunc esse rejecta, quae antea epidemiarum et constitutionis stationariae causae putatae sunt, aliquid momenti habeamus, nam hoc saltem in causa vera investiganda quominus desinamus, prohibet, quod, si invenisse eam opinaremur, fortasse fieret. Conjecturae sane non desideratae ex usu fere omnes refutantur. Hoc tantum constat, causas externas solas constitutionem dominantem mutare et pestilentias provocare non posse, sed omnino requiri mutationem quandam primariam vitae generis humani et physicae et psychicae. Si singulos homines, ut supra, cum societate universa, quod attinet vitam sanam et aegrotam, comparamus, non possumus quin evolutionis periodos ibi probatas, hic quoque adesse statuamus, quamvis in re tam ardua minimeque adhuc tractata, ubi plurima simul sint respicienda, perspicue probari nequeant. Pariter atque in singulis hominibus sese evolutionibus vitam et corporis et animi maxime immutari, ergo praedispositionem ad hunc illumve morbum augeri animadvertimus, ita fortasse vitae societatis humanae alienata post annorum seriem certam morbi praedispositionem universalem seu constitutionem stationariam invertere valet. Unde epidemias et novos morbos tum temporis exoriri fere patet, quo turbulentiae in civitatibus tempestates versentur, regna convertantur, bella gerantur maxima, alii mores consuetudinesque induantur, quia in tali evolutionis statu vita psychica aequae ac physica novatur. Quot annis peractis tale evolutionis stadi-

um superveniat, ergo quamdiu constitutio stationaria quaevis regnet, et numad certas quasdam regulas vicissitudines hae dirigantur, ea quidem, secundum mancas ex brevi tempore demum institutas observationes fere nescimus, quamquam leges fixas, licet adhuc ignotas hic ut ubivis institutas esse, quis addubitaverit? Constitutionis stationariae tempus quoddam medium decem usque ad quindecim annos complecti ponamus, etsi tum in populis tum in terrae regionibus diversis haud raro inde aberret. Jam sat superque diximus de opinionibus illis, quae experientia nondum stabilitae, pro minimo habendae sunt momento.

De constitutione stationaria mutata quum supra multum sermo fuerit, varia ejus genera exstare liquet, quae nunc paullo accuratius considerabimus. In his statuendis valde discrepant medici, quum nonnulli numerum eorum maxime augeant, alii tria, alii denique duo tantum assument. Sententiam hanc ultimam plurimi secuti esse videntur, inter hos vero e. g. Harless 14), Hufeland 15), Wittmann 16), qui omnes constitutionis stationariae indolem, vel robore quodam et vi vitali adaucta, sese manifestare statuunt, vel debilitate quadam et vi vitali imminuta; alteram constitutionem sihe-

nicam seu inflammatoriam, cum praesertim fa-  
veat morbis inflammatoriis nascendis, vocant, alteram constitutionem asthenicam seu nervosam, quum, systemate irritabili parum valido, systema nervosum dominans nervorum morbos saepius provocet. Kieser 17) praeter duo modo allata genera tertium adhuc supponit, constitutionem vegetativam, quae ex systemate reproductivo praeva-  
lente pendens, praedispositionem ad morbos vegetativos potissimum augeat. Praeterea nonnullae morborum constitutiones, a medicis prioribus usurpatae, v. c. gastrica, biliosa, mucosa, rheumatica, catarrhalis, earumque inter se connubia, species potius illorum generum habendae sunt. Etenim ex hoc illove organo prae caeteris affecto, ex constitutione endemica vel annua diversis, originem ducant. Pari modo constitutio vegetativa, quam assumit Kieser, supervacanea mihi esse videtur, immo tota ejus dividendi ratio falsa. Dicit scilicet: 18) „Dieser allgemeine Charakter des gesunden und kranken Lebens, erscheint vorzüglich in hervortretender Thätigkeit eines der Hauptsysteme des menschlichen Leibes, wodurch dann die besondere Form der stehenden epidemischen Constitution bestimmt wird, so daß bald das vegetative Leben des menschlichen Körpers vorzugsweise thätig erscheint, und die vegetative stehende epidemische Constitution bildet, bald das animalische Leben im menschlichen Körper die Vorherrschaft hat, und die entzündliche stehen-

14) Harless: *Jahrbücher deutscher Medicin und Chirurgie*, Band I. 48. 3

15) Hufeland: *Journal der allgemeinen Heilkunde*, Band XXXVIII. Stück 6. pag. 91.

16) Wittmann: loco citato, pag. 38.

17) Kieser: loco citato, pag. 659.

18) Hufeland: *Journal der allgemeinen Heilkunde*, Band LX. Stück 2. pag. 6.

de epidemische Constitution giebt, bald das sensitive Leben überwiegt, und die nervöse epidemische Constitution darstellt.“ Si secundum systematis principalis in organismo humano actionem praevalentem divideretur constitutio stationaria, in una eademque constitutione tum vigor, tum atonia adesse posset, quoniam systematis vel organi cujusdam actio major, conjuncta esse potest cum vi vitali adaucta vel imminuta. Ita, v. c. in febre inflammatoria pariter atque in febre adynamica (tum indolis nervosae tum putridae), vasorum systematis actio eminet, quamquam in altera vigor, in altera atonia adest. Idem valet de systemate nervoso, nam haud semper immo rarissime, actione ejus accelerata, vis simul aucta apparet, quod vox in usu quotidiano occurrens „nervenschwach“, quae de hominibus, ex morbis nervorum systematis laborantibus adhibetur, affirmare videtur. Eodem modo in scrophulis, quarum indoles in systematis lymphatici actione nimis exulta niti dicitur, interdum affectiones revera inflammatorias observamus, multo saepius autem astheniam. Experientia vero nos docet, vim vitalem, dum certa annorum serie constitutio quaedam dominetur, in omnibus organismi humani systematibus vel adauctam esse, vel imminutam, quod in systemate vasorum, quia evolutioni in universum praeest, maxime conspicuum erit. Talem vigoris et debilitatis vicissitudinem per unius constitutionis tempus, qualis, si sequeremur, quae Kieser proposuerit, occurrere posset, minime invenimus. Divisio ergo in constitutionem sthenicam et asthenicam, naturae maxime re-

spondet; inter haec duo genera principalia, omnium rationum ope tum externarum tum internarum, transitus varii et mutationes inveniri possunt, quorum discrimina, quid agant ad medendi usum, experientia demonstrare debet. Quantum valeat medico artem exercenti, recte agnoscere constitutionem stationariam, supra jam demonstratum est; cui quidem plane excultae, medicus quisque se quasi submittere cogitur, medendique rationem secundum eam instituere, etsi principiis suis plane occurrat. Difficilius aliquis jam mature, licet hoc maximi sit momenti, clare agnoscat alteram in alteram verti constitutionem, quod quidem, experientia jam spectata, non tantum ex morbis gravioribus observatis medicaminumque in iis vi exhibita, colligi potest, sed potius ex morborum leviorum indole apparebit, quippe qui constitutionem sese formantem plerumque maturissime indicaverint;— neve praetermittat ille et despiciat mutationes, quae jam in hominibus relative sanis eo, quo constitutio invertitur tempore, non desiderabuntur. Caveat ille modo, ne singulis casibus ductus, ubi fortasse non omnia simul agentia accurate respexerit, universalem vitae habitum mutatum esse credat, unde tantum mali nasci posset, quantum ex re neglecta. — Omnino medicus judicium suum in morbis curandis (der praktische Tact) vix ulla re magis comprobabit, quam si omnia, ex quibus constitutionem stationariam mutatum iri colligi possit, recte agnoverit. Signa, ex quibus alterutrum constitutionis stationariae genus jam excultum esse, concludi licet, copiose attulit Wiltmann et ex mea

sententia sagaciter. Mihi quidem nonnulla de morbi constitutione in nostris regionibus nunc regnante, verba facere sufficiet, quantum vires meae debiles atque experientia minime probata valebunt. Fieri potest, ut ipse erraverim atque in eundem, quem modo vituperavi, dilapsus sim errorem, ex singulis nimirum casibus in universum concludendi.

Omnes medici artem exercentes, qui de constitutione stationaria his ultimis annis regnante sententiam suam in medium protulerunt, eam saltem in maxima Europae parte, inflammatoriam esse consentiunt, et quidem a plerisque annum millesimum octingentesimum undecimum, cometa insignem, tempus habetur, in quo versa sit constitutio asthenica; ita Hufeland 19), Schaeffer 20), Schnurrer 21), Kopp 22), Scheu 23), quorum ultimus singulari modo inflammatoriam morborum formam explicare studet ex vi electrica, majorem in modum agente in terram nostram ejusque incolae; Kieser 24), Pfeufer 25),

- 
- 19) Hufeland: *Journal*, Band XXXVIII. Stück 6. pag. 91.
  - 20) Dasselbe, Band LIII. Stück 5. pag. 19.
  - 21) Schnurrer: *Die Krankheiten des Menschengeschlechts, historisch und geographisch betrachtet*, Tübingen 1803. Band I. pag. 8.
  - 22) Kopp: *Beobachtungen im Gebiete der ausübenden Heilkunde*, 1821. pag. 129.
  - 23) Hufeland: *Journal*, Band. LVII. Stück 4. pag. 23.
  - 24) Dasselbe, Band LIX. Stück 2. pag. 3.
  - 25) Pfeufer: *Handbuch der allgemeinen Heilkunde*, Bernburg 1824. pag. 37.

qui constitutionem se vertisse anno millesimo octingentesimo decimo tertio ponit. Sed, quum a natura institutum sit, ut omnia sensim transeant, nullis fere limitibus fixis circumsepta, etiam tale quid in constitutione stationaria mutanda evenisse veri simillimum est. Ergo scriptores ita differre, mirum ne quis habeat, praesertim quum, fortasse ratione endemica diversa, uno loco eam prius occurrere potuisse, quam alio, addendum sit. In nostris quoque regionibus constitutio inflammatoria late regnabat, cujus transitum fortasse febres intermittentes ubique grassantes, anno millesimo octingentesimo nono usque ad duodecimum faciebant. 26) Ita in exercitu Anglicano, anno millesimo octingentesimo nono ad insulas Walcheren et Beveland misso, novem usque decem millia militum febre intermittente correpti fuisse dicuntur, qui numerus totius exercitus partem quartam superavit. Anno jam millesimo octingentesimo decimo in Germania singulis locis typhus contagiosus observabatur, eandem prae se ferens indolem inflammatoriam, quam exserebat annis millesimo octingentesimo duodecimo et decimo tertio, bello maximo insignibus; et huic omnes caeteri morbi obvii ita similes erant, ut constitutionem stationariam tum incipientem et usque ad hodierna tempora perdurantem, quasi repraesentare videatur. Ex hac sola constitutionis indole, cur methodus antiphlogistica optimo successu adhibita, quin sanguinis emissio haud raro usque ad syncopen sine

- 
- 26) Schnurrer: *Chronik der Seuchen, Theil II.* pag. 486.

destrimento continuata sit, potest explicari. Pari modo doctrina, quam hoc tempore maxime temerariam proposuit Broussais, a pluribus recipi in Francogallia et respici quoque in Germania non potuisset, nisi haec constitutio regnasset, quippe quae methodus alio tempore commendata, plane repudiata esset. Fortasse ex eadem causa factum est, ut Homoeopathia in Germania late divulgata sit, quum, constitutione inflammatoria dominante, medicaminibus internis minime indigeamus sufficiatque saepe diacta parior, propterea quod eo tempore, quo omnes in organismo actiones auctae apparent, medicatrix quoque vis naturae validiorem sese exhibet, unde medicaminibus obruta in functionibus peragendis modo turbari et coerceri potest. Num constitutio morbi inflammatoria adhuc regnat? Multi ex nonnullis jam annis eam magis recesisse monuerunt, quorum Kieser 27) variolas, anno millesimo octingentesimo vigesimo quinto denuo in conspectum prodisse memorat, quas quidem non ex contagio sed rationibus cosmicis et telluricis, ergo ex generatione primaria exortas esse putat, eamque ob rem nunc latius fortasse diffusum iri, quod vero cacterum non accidisse videtur. Porro constitutionem vegetativam affore inde deducit, quum variolae sine dubio in systemate vegetativo sedem habeant. Berndt 28) ex anno jam millesimo octingentesimo vicesimo tertio in Germania septentrionali constitutionem ga-

stricam exultam esse, opinatur (iria quoque constitutionis genera statuit, sthenicam, asthenicam et gastricam, quae simul vel inflammatoria vel nervosa esse possit), atque ad sententiam suam sustentandam inflammationes veras nunc rarius occurrere refert, venaesectiones minus adjuvare, potius quam antea nocere; contra, remedia evacuantia saepius in usum esse vocanda et reconvalescentiam lentius, artis ope haud raro requisita, succedere; maxime vero ille in eo nititur, quod febres intermittentes, ex anno millesimo octingentesimo duodecimo rarius observatae, nunc rursum epidemice grassantur, quas morbum nervosum intra fines vegetativos esse declarat Sachs. 29) Eandem sequitur sententiam G. A. Richter 30), qui febres intermittentes pontem nuncupat, per quem constitutio stationaria altera transeat in alteram; ille quoque ex anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto, ergo nonnullis annis postea quam Berndt, quod quidem, ut supra monuimus, a rationibus pendeat endemicis, febres observavit intermittentes, quae cum constitutionis statu perspicue inflammatorio non convenirent; nam febris intermittens indolem qualemlibet tibi fugas, tamen systematis irritabilis actionem in ea non praevalere constat. A priori quoque constitutionem immutatam esse, concludere licet, quum

27) Hufeland: *Journal der allgemeinen Heilkunde*, Band LX, Stück 2, pag. 40.

28) Dasselbe: Band XXXIII, Stück 3, pag. 83.

29) Sachs: *Handbuch des natürlichen Systems der practischen Medicin*, Theil I. Stück I, pag. 64.

30) G. A. Richter: *Die neuesten Entdeckungen, Erfahrungen und Ansichten in der practischen Heilkunde*, Berlin 1831, Band II, pag. 32.

eandem duodecim usque quindecim annos excurrere vix exstet. Non minus fortasse constitutioni se mutanti methodus antiphlogistica ultimis his annis nimis usurpata favebat, quoniam curandi ratio in omnibus adhibita, morborum indolem regnantem sensim invertere valet, ut in singulis hoc saepius occurrit.

In nostra quoque provincia in universum constitutionem ita mutatam esse comprobari potest. Nam anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo febris intermittens Dorpati ita divulgata erat, ut epidemiae nomen sibi vindicaret; et quamquam hic ex constitutione endemica quotannis plerumque verno tempore sporadice occurrit, eo anno atque insequente multo magis grassabatur. Inflammationes, ubi sanguinis emissio repeti poterat, tum quidem obviae erant, etsi rarius; hoc verno tempore nulla ejusmodi inflammatio in nosocomio nostro observata est. Quarum loco febres nervosae frequentiores erant, et ex anno millesimo octingentesimo tricesimo secundo hic quoque typhus abdominalis, seu ileitis nervosa, saepe observatus est, exulceratione in tractu intestinorum accedente, vel locis modo nonnullis inflammatis perspicuis. Fortasse Cholerae epidemicam, nostris diebus totam Europam terrentem, documentum afferre possimus, constitutionem inflammatoriam nunc ex regno suo expulsam esse. Quod ejus naturam contagiosam vel miasmaticam attinet, de ea, ut supra dictum, adhuc sub iudice lis est. Indolem ejus, qualemcunque ponamus, vel plane occultam putemus, tamen in organorum abdominalium inflammatione minime quaerendam esse con-

stat, potius morbus esse videtur nervosus, qui ad organa abdominalia peculiari quodam modo refertur. Ideo constitutio morbi stationaria hodierna, ut fecit G. A. Richter 31), nervosa gastrica nominari possit.

---

31) G. A. Richter, loco citato, pag. 35.

---



## THESES.

### I.

Lues venerea universalis exoriri potest, etiam sine praegresso ulcere syphilitico topico.

### II.

Ulcus syphiliticum primarium remediis topicis sanari potest.

### III.

Ulcus syphiliticum primarium remediis topicis sanari non licet.

### IV.

Medicus aeque est naturae magister quam minister.

### V.

Herniae incarcerationem spasmodicam existere nego.

### VI.

Dantur remedia prophylactica.

---